UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

M. DC. LXI. Coloniae Munatianae, 1661

De Regvlis Ivris. Titvlvs XLI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62953

Visual Library

numerum augmentare & minuere deberetis. Quocirca mandamus, quatenus ſi veteres non ſunt minutæ præbendæ, cùm moderatio locum non habeat, ipſarum & canonicorum numerum dimittatis in eodem ſtatu, in quo hactenus dignoſcitur extitiſſe, in utilitatem ejusdem eccleſiæ convertentes augmentum ſuorum redituum, donec duxerimus aliter diſponendum.

DE REGVLIS IVRIS.

TITVLVS XLI.

CAP. I.

Non poteſt brevius ſummari.

Ioannes Chryſoſtomus.

OMnis res, per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.

CAP. II.

Dubia in meliorem partem interpretari debent.

Beda *in Homiliis.* a

EStote miſericordes, &c. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi exiſtimo *b*, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim ſcriptum eſt, Ex fructibus eorum cognoſcetis eos: de manifeſtis dictum eſt, quæ non poſſunt bono animo fieri, ut ſtuprum, blaſphemiæ, furta, ebrietates, & ſimilia: de quibus nobis permittitur judicare.

CAP. III.

Propter ſcandalum evitandum veritas non eſt omittenda.

Idem.

QVi ſcandalizaverit, &c. Vtilius ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur.

CAP. IV.

Propter neceſſitatem illicitum efficitur licitum.

Idem *ſuper Marc.*

QVod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum. Nam & Sabbathum cuſtodiri præceptum eſt: Maccabæi tamen ſine culpa ſua in Sabbatho pugnabant. ſic & hodie, ſi quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.

CAP. V.

Illicitè factum, obligationem non inducit.

Gregorius VII.

QVod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere.

a In Lucam lib. 2. ca. 24. vide B.Thom.22.quæſt.60.artic.4. b Aſtixo.

CAP. VI.

Tormenta indiciis non præcedentibus inferenda non ſunt.

Idem *Varien. Epiſcopo.*

CVm in contemplatione: & infrà. In ipſo cauſæ initio non eſt à quæſtionibus inchoandum.

CAP. VII.

Sacrilegus eſt, offendens res vel perſonam eccleſiaſticam.

Stephanus Papa. *a*

QVæ multoties: [1 & ſ.] Quicquid in ſacratis Deo rebus, & Epiſcopis injuſtè agitur, pro ſacrilegio reputatur: quia ſacra ſunt, & à quoquam violari non debent.

[1 *Vſurpantur, neceſſe eſt ut multoties prohibeantur. Nam.*]

CAP. VIII.

Qui facit aliter quàm debet, facere non dicitur.

Auguſtinus,

QVi ex timore *b* facit præceptum, aliter quàm debeat facit, & ideò jam non facit.

CAP. IX.

Committens unum peccatum, reus eſt omnium, quoad vitam æternam.

Idem *in libro de Sapientia.*

DEfleat peccator, quia offendens in uno, factus eſt omnium reus.

CAP. X.

Ignorantia non excuſat prælatum in peccatis ſubditorum. h.d. quoad myſticum & moralem intellectum.

Gregorius *in regiſtro.*

QVamvis cauſæ: [1 & ſ.] Non *enim* poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit.

[1 *Quid eſſe deterius poteſt, quàm ut agantur talia contra ſervos Dei, ut ipſe neſciat qui præeſt.*]

CAP. XI.

Pro ſpiritualibus homagium non præſtatur.

Lucius III. *c*

INdignum eſt, & à Romanæ eccleſiæ conſuetudine alienum, ut pro ſpiritualibus facere quis homagium compellatur.

a *Stephanus Papa I. epiſt. 2. cujus initium: Plurimum extat gaudere, extat in 1. tom. conc.* b *C. 10. eod. tit. in 1. comp. vide B. Thom. 2. 2. quæſt. 19.* c *Ca. 13. eod. tit. in 1. compil. vide ca. 2. de exceſſ. præl. in 2. compil. ubi extat integra clauſula.*

F I N I S.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN